Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

igitur tunc apud Brennos Ecclesia, si proprii Sacerdotes fuerunt: nonne et Apostolos illuc jam antea penetrasse credendum? S. Lucium ais? ego. Fuit tamen non multos convertisse, sed paucos, et quasi transeundo; argumento mihi sunt Curiensis diœcesis limites, ~~quæ~~ qui ex valle Avana infra fauces Vennonias nihil complectantur. Cum ergo ~~inferior~~ infra ~~hæc~~ has pylas omnia ad diœcesin olim Sabionensem nunc Brixinensem pertineant; ab eodem Apostolo ~~ex Christo~~ Avivallem ad Christum conversam esse conjicio, a quo Sabionem conversa est.

IV. S. Cassianus Episcopus Sabionensis idem est cum Martyre Immolensi. In vetustissimo quodam manuscripto libro ait Hundius in Metrop. Salisb., tota ejus vita et mors luculenter describitur; ut patet ex versibus, rei, non arti accommodatis:

Vox Patris almivoma Christum docet in Sabiona.
Immola confirmat graphius hic immolatissimum.

Nam quem Sabiona primum prædicatorem recepit,
hunc Immola diris vulneribus Christi martyrem fecit.

In Tabulario Capituli Brixinensis exstat fragmentum libri choralis vetustissimi: ubi ad Nonas Febr. S. Ingenuinus Episcopus Sabionensis fuit secundus: hunc S. Cassianus præcesserat, qui Imolæ ymolatus martyrium complevit. Martinus Immolensis Ecclesiæ Cathedralis Canonicus in Hist. Eps. Immol. Sola traditio, memoriam hominum excedens satis confirmat, unum et eundem esse Cornelicosem Cassianum Martyrem, qui Sabionensis Episcopus fuit. Cui traditioni pondus adangit imago Cassiani infulati in absida Immolensis Cathedralis a quingentis fere annis deputa. Ante Basilicam januam Basilicæ Brixinensis antiqua, teste Reschio, erecta erat statua lapidea S. Cassiani infulati. Sabionæ quoque exstat ædicula sacra, quæ ab ipso S. Cassiano ~~exstat~~ in honorem B. V. Mariæ Virgo extructa fuisse traditur hodieque Capella S. Cassiani dicitur; et subjeam crypta: ~~in qua~~ in cujus muri latere S. Cassianus cum vetustissima mitra depictus erat: ubi ex oculatis testibus se audivisse idem Cl. Reschius affirmat. Addit, se Cassianum sacra fulgentem mitra, et a pueris consessum conspexisse in picturis Ecclesiæ parochialis Venetus S. Cassiani titulo decoratæ. Seculo jam sexto decimo Theodo Bojorum Dux S. Cassiani templum erexit Ratisbonæ: cujus altare summum vetustissimum exhibet Sanctum infulatum simul et a pueris consessum. Vid. Raderus in Bav. Sancta, et Reschius Annal. Sabion. Sec. IV. ‡ ~~Addit~~ Bollandus Kl. 55. ad

† 5 Feb. ~~ubi~~ ait: Ut scribit Philippus Cluverius Ital. antiq. l. 1, c. 17, et Wiguleus Hundius Metrop. Salisb. l. 1. Sabionensem Episcopum fuisse S. Cassianum, qui XIII. Augusti colitur, atque inde ejectum, Imolæ ludum literarium exercuisse, ac tandem pneorum graphius necari jussum; constans est Imolensis et Brixinensis Ecclesiarum traditio. Unde conficitur, minimum a Diocletiani temporibus prædicatam Sabionæ fidem, solumque episcopale erectum: neque enim ille, quod quidam volunt, Juliani imperio, sed multo antea tempore martyrium fecit.

‡ Hanc S. Cassiani ecclesiam fuisse an. 1293 parochialem seu curatam, colligo ex instrumento apud Gerboldum Metr. l. I in Eps. Sabion. ubi lego: Henricum plebanum S. Cassiani.